Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3147
Quelle:
Copyright:

DCCCCV.

411 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 39. 4. luculente ſcriptus, et literis initiorum pulchre delineatis atque depictis, *precatorius* eſt, fuitque olim in uſu cujusdam Principis *Auſtriaci*, ut liquet ex *Orat. fol.* 30. p. 2. *Queſo omnipotens deus ut ego famulus tuus, qui de tua miſeratione ſuſcepi principatus gubernacula* &c. Praeit *Kalendarium* eccleſiaſtico-aſtronomicum, in quo miniati SS. *Blaſius*, *Urbanus*, *Vitus* et *Modeſtus*, *Vdalricus*, *Margaretha*, *Auguſtinus*, *Egidius*, *Rudpertus*, *Virgilius*, et *Nicolaus*. Sequuntur: Hymnus *Veni creator ſpiritus* &c. VII. *Pſalmi* dicti *Poenitentiales*, *Litaniae OO. SS.* in quibus comparet *Sanctus Vriel*, cum variis *Orationibus* ſubnexis, in quarum una, cum precandum eſſet et pro iis: *qui michi bona atque mala fecerunt*, manus alia *ro atque mala* non ſatis ad Evangelium inducto nigrore delevit. Finem faciunt *Veſpere mortuorum*. Codex advectus ex Arce *Ambraſiana* Poſſeſſorem aliquem e *Tyroleos* Principibus deſignare videtur.

DCCCCVI.

951 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 214. 4. bene ſcriptus, et non ſolum literis initiorum, marginibusque foliorum compluribus deauratis et ſpecioſe picturatis, ſed multis etiam Iconibus, interque eas grandibus VIII. penicillo elegantiſſimo elaboratis inſignis, varia Pietatis Exercitia complectitur praevio *Calendario*, quod praeter conſueta Emblemata Signorum Coeleſtium et *των Εργων* nihil peculiare ſubpeditat, cuique improba manu *December* exſectus eſt. Sunt vero illa: Depromtum e ſingulis Evangeliſtis Evangelium, Paſſio Domini ſecundum *Johannem*, Horae B. *Mariae* Virg. de S. Cruce, et S. Spiritu unitae, Pſalmi *Poenitentiales*, Officium pro Defunctis, cui praefixa *Lazari* ſuſcitatio, Mortisque Symbola plane commendari merentur, et deinceps Preces variae ad Deum, diverſosque Coelites, rubricis paſſim *gallica* lingua praecedentibus, unde *Codicem* in uſum Aulae *Burgundicae* ſcriptum conficitur, accedente in Theca holoſericea viridi Scuto *Burgundico Belgico* argenteo *Caroli Aud.* aut *Mariae* filiae, ut etiam in eorum Monetis videtur.

DCCCCVII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 28. 4. charactere miſſali ſcriptus, rubricis diſtinctus, picturisque 7. SS. *Victorem*, *Quirinum*, *Gereonem*, *Chriſtophorum*, *Eucherium*, *Gregorium* quendam *Principem Maurorum*, *Valentinianum*que, ut fert ſubſcriptio, *Imperatorem Romanorum* et *Regem Vngarorum* referentibus conſpicuus, praemiſſo *Calendario Preces* ad Deum, variosque Coelites, *Pſalmos* dictos de Poenitentia, *Litaniasque OO. SS.* 462